

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Tractatus ascetico-theologicus de religione s. de statu religioso -
Ettenheim-Münster 100

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput primum

[urn:nbn:de:bsz:31-110938](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110938)

5.

Tractatus
Ascetico-Theologicus
De Religione, seu Statu Religioso.

Caput primum.

De essentia Status Religiosi.

Status Religiosus definitur, Fidelium ad i.
Christianae charitatis perfectionem tendenti-
um per spontanea paupertatis, castitatis, et
obedientiae vota perpetuo stabili, ac sociali
ordinate vivendi modus ab Ecclesia approba-
tus. Ita communiter Theologi omnes. In
hac Status Religiosi definitione sequentes eli-
cimus Conclusiones.

Conclusio i^a

Tria vota, Castitatis scilicet, Pauper- 2.
tatis, et Obedientiae, ad essentiam Status
Religiosi necessario requiruntur.*

Prob. 1^a Ex Jure Canonico C. cum ad Mo-
nasterium de Statu Monach. ubi suppo-
sitâ obedientiâ, de quâ nulla potest
esse controversia, quâ essentialiter ad
Statum Religionum pertineat, dicitur: Ab-
dicatio proprietatis, sicut et custodia
castitatis, ad eam est annexa regula Mo-
nachali / seu Statu Religioso / ut contra
eam nec Summus Pontifex possit licen-
tiam indulgere.

* Votum generatim
definitur, promis-
sis deliberatè Deo
facta de meliori
bono. id est de bono,
quod melius sit quam
bonum ipsi oppositum.

Prob. 2^a Quia Status Religiosus est
Status tendentium ad Christianam perfec-
tionem. Unde sic conficitur argumentum:
Nemo potest ad perfectionem sincerè ten-
dere, nisi auferat media, quibus obstacu-
la ad eam perveniendi removeantur. Atqui
talìa media sunt tria memorata vota.
Ergo haec ad essentiam Status Religiosi
necessario pertinent. Major est certa:
nisi enim obstacula, quae impediunt finem,

6. remota fuerint, finis nunquam obtineri poterit. Min. prob. Tria sunt impedimenta perveniendi ad perfectionem: primum Inordinatus ad res temporales affectus. 2^{um} Dum appetitus voluptatum carnis. 3^{um} Amor proprii iudicii, seu voluntatis. Atqui primum impedimentum removetur, per votum paupertatis: Secundum, per votum castitatis: Tertium, per votum obedientiae. Ergo tria vota sunt illa media, quibus removentur obstacula, quae impediunt, quo minus perveniamus ad perfectionem.

Conclusio 2^{da}

3. Haec tria vota sub perpetua obligatione emitti debent.

Prob. ex eo, quod, qui solum se obligaret ad tempus, hoc ipso convinceretur, se totum Deo in holocaustum non obtulisse, quia jus retineret ab eo recedendi. Atqui Status Religiosus est holocaustum, inquit S. Gregorius Hom. 2. in Ezech. quo homo se totaliter Deo offert, et consecrat. Ergo hic Status exigit, ut tria illa vota sub perpetua obligatione emittantur.

Conclusio 3^{ta}

4. Status Religiosus est stabilis, ac socialis ordinatae vivendi modus.

Ratio 1^{mi} desumitur ex priori conclusione: est enim Status qui tribus illis votis sub obligatione perpetua omnino continetur, adeoque stabilis sit oportet.

Ratio 2^{di} est, quia Status Religiosus importat sacram quamdam Communitatem, quam constituent illi, qui sub certa regula, ac Superioris obedientia simul sociati saltem ad tempus vivunt. Dicitur,

Saltem ad tempus; quia Sufficit in Com-
munitate probationem sustinisse et Pro-
fessionem Status Religiosi emisisse in ma-
nu Ornelati; nec refert, si quis postea
extra communitatem vivat.

Conclusio 4^{ta}

Emissio votorum fieri debet in Religio-
ne à Summo Pontifice approbata. Ratio
est, quia emissio votorum fit per invo-
cabilem, ac perpetuam sui traditionem, et
acceptationem Religionis, in cuius Professus
ponitur sub potestate perpetua, ac invo-
cabili Religionis. Atqui Religio nondum
approbata à Summo Pontifice non habet
potestatem invocabiliter ac perpetuo
acceptandi huiusmodi traditionem, cum
ipsamet nondum sit perpetua, ac firma-
ta per approbationem. Ergo necessarium
est, ut emissio votorum fiat in Religio-
ne à Summo Pontifice approbata.

Nota tamen 1^o Quod antiquitus aucto-
ritativa Romani Pontificis approba-
tio tacita duntaxat, vel interpretativa suffe-
cerit; siquidem antiqua Monachorum
Instituta sola Episcoporum auctoritate
approbabantur, non repugnante, sed po-
tius collaudante Summo Pontifice, to-
taque Ecclesia. At post Concilium La-
teranense IV. an. 1215. sub Innocentio III.
celebratum, formalis, ac expressa Summi
Pontificis approbatio requiritur.

Nota 2^o Quamvis Doctores passim etiam
am requirant Solemnitatem votorum
tandem quid essentiale ad Statum Reli-
gionum seu Religionis; loquentur ta-
men solum de Religione secundum

8. jus antiquum: nam de jure novo constat ex Bulla Gregorii Papa XIII. quae incipit, Ascendente Domino, Jesuitas vere esse Religiosos, quin emittant vota Solemnia; atque ad eos Solemnitatem votorum non esse de amentia Religionis.

9. Porro haec votorum Solemnitas consistit in eo, quod Religiosus in Ordine à Sede Apostolica approbato juxta formam ab Ecclesia praescriptam emittat tria Substantialia vota tradendo, ac obligando se ipsum invocabiliter Religioni, et vicissim quod Religio ei, tanquam subdito suo, se invocabiliter obliget de nunquam Dissolvendis, aut irritandis votis ab eo emissis. Unde vides, cur vota edita à Patribus Societatis Sacerdotum sicut vocantur non professis sint tantum simplicia; quia nimirum Societas se vicissim in perpetuum non obligat ad non relaxanda vota Sociorum suorum.

Ob. contra; inam Conubionem. Solum Sufficit votum obedientiae, ut Status Religiosus constituatur. Ergo alia Superfluent. Prob. ant. Status Religionis, ut ex S. Gregorio dictum, est holocaustum, quo homo se totaliter Deo offert. atque per solum votum obedientiae homo se totaliter Deo offert. Ergo solum hoc votum Sufficit ad constituendum Status Religiosum. Prob. min. Homo per votum obedientiae se obligat ad omnia praeccepta adimplenda, ita ut licite non possit, quicquid Deus non vult. Ergo per illud se totaliter Deo offert, ac devoret.

R. Dist. ult. ant. Homo per votum

obedientia se obligat ad omnia praecepta^{9.}
adimplenda, et simul removet omnia
obstacula perveniendi ad perfectionem,
neg. ant. Ita ut quaedam remaneant, con-
ant. et neg. cons. Nam, ut jam ostendimus,
cum Status Religiosus sit Status tendenti-
um ad perfectionem, necesse est, ut om-
nia obstacula removeantur; cum igitur
per solum votum obedientia id fieri neque-
at, prout diximus, consequens est, quod hoc
se solo Status Religiosus constituere non
possit.

Præterea potest transmitti ant. et ne-
gari cons. Et quod Status Religiosus non
solum exigit, ut omnia praecepta implean-
tur, sed etiam ut consilia Evangelica serven-
tur, juxta illud: Si vis perfectus esse, vende
et vende omnia, quae habes, p.

Inst. S. Benedictus in sua Regula à Sum- 10.
mis Pontificibus approbata c. 58, non nisi
obedientiae votum exigit. Ergo hoc solum
sufficere videtur.

Resp. Dist. ant. S. Benedictus in sua Regu-
la non nisi votum obedientiae exigit, ita,
ut excludat alia vota, neg. Ita, ut ea,
saltem implicite, involvat, con. ant.
et neg. cons. Licet enim S. Legislator
noster solum de voto obedientiae in ut.
Cap. mentionem faciat, implicite tamen
exigit alia vota: cum enim ejus Regula
prescribat castitatem et paupertatem,
hoc ipso, quod aliquis voveat obedientiam
secundum Regulam S. Benedicti, etiam
castitatem, et paupertatem, saltem im-
plicitè vovere convincitur.

Aphorismi.

I. Essentia Status Religiosi sine tribus^{ii.}
votis castitatis, paupertatis, et obedientiae,

10.

Subsistere nequit.

II. Haec tria vota sub obligatione perpetuâ emitti debent.

III. Status Religiosus est stabilis, ac socialis ordinatè vivendi modus.

IV. Ut vota irrevocabilia esse valeant, edici debent in Religione à Summò Pontifice approbatâ.

V. Licet olim tacita Ordinis aliusque approbatio à Summò Pontifice facta suffecerit, hodie tamen debet esse expressa.

VI. De jure novò Solemnitas votorum non est de essentiâ Religionis.

Documentum.

12.

Intellexisti, quid sit Status Religiosus, quam nobilis ejus institutio, et quantum felicem se esse arbitrari debeat ille, quem dignatio divina ad illum vocat. Quenam enim major felicitas homini obvenire potest, quam ut finis ac principis suo, quod est Supremum, summum, ac infinitum Bonum, conjungatur; quod plane in nullo statu facilius fieri potest, quam in Religioso; ibi quippe anima per vota castitatis, paupertatis, et obedientiae, se totam Deo consecrat; ibi disit terrena. Despicere, et solum amare coelestia, fugere vitia, amplecti virtutes, ambulare cum Deo, et esse perfectam, atque ad eum per charitatem, in qua consistit ejus perfectio, intime Deo uniri. O felix Religio! o vita beata! o vita Angelica! qua Religiosi à vinculis terrenis liberi, facile se se in altum sublevant, atque consortium Angelorum, quorum usurpant officium et ministerium consequuntur. Talis est Sacer Dei famulatus, talis est Status Religiosus, nempe

Sublimis, excelsus, coelestis et Angelicus, adeo
 ut, qui in eo positi sunt, si tamen in eo digne
 ambulent, merito dicere possint cum Apos-
 tolo, Conversatio nostra in coelis est. Vide
 igitur, o anima religiosa! quam sedulam
 impendere debeas operam, ut in hoc Ange-
 lico vivendi instituto, quod amplexa es, ta-
 lem agendi rationem in eas, qua sit a terre-
 nis penitus abstracta, et Superioris unice in-
 tenta; ut, dum solum coelestia sapis, quid-
 quid sub coelo est, tanquam leve, fada, et
 inane despicias. Qui enim revertitur
saeculo, ait S. Cyprianus, De Orat. Dom. major
est honoribus ejus, et regno; et ideo, qui se
Deo et Christo dedicat, non terrena, sed coe-
lestia regna desiderat.

Caput Secundum.

De perfectione Status Religiosi.

Constat ex priori Capite, quod Status Reli-
 giosus sit Status eorum, qui tendunt ad perfec-
 tionem, nunc examinandum est, in quonam
 illa perfectio consistat, et quonam sit obli-
 gatio ad eam tendendi. In sequentibus SS.
enquiremur.

§. I.

In quonam consistat perfectio
 Status Religiosi.

Conclusio. Perfectio Status Religiosi con- 14.
 sistit in charitate. Ita communissima.

Prob. 1.º Ex Scriptura. 1. Tim. 1. Dicit Apos-
 tolus, Summi precepti est charitas. Ad Rom. 13.

Plenitudo legis est dilectio. Et ad Coloss. 3.
Charitatem habete, quod est vinculum per-
fectionis.

Prob. 2.º Ex SS. Patribus. S. Gregorius Hom.
 in Evang. omne mandatum, inquit, de sola
dilectione est, et omnia unum preceptum
sunt, quia quidquid praecipitur, in sola cha-

P. H
 9